



C O D I C E S
P A T R I S T I C I.

185 — 306.

CLXXXV. VII. H. 27.

705 **C**odex membraneus lat. Sec. partim XII. partim XIII. Folior. nunc 92. 4. probe scriptus, sed medio, sineque mutilus continet: I. Libros III. *Hermae*, non *Heremis* aut *Hermetis*, quem alii *Pauli* Apostoli Comitem, alii *Pii* I. Pont. Rom. fratrem faciunt, nomine *Pastoris* insignitos, et siquidem, ut *Cotelerio* visum, propugnaculum fidei Catholicae adversus *Montani* duritiam censendi sunt, non multo ante finem Sec. II. compositos. Edidit eos post alios dictus *J. B. Cotelerius PP. Apostolicor. Vol. I.* edit. *Antverp. seu Amst.* 1698. p. 75. f. Ab hac editione abest Inscriptio Codicis nostri, quae sic habet: *Incipit Liber pastoris Nuntii Penitentiae. mandata ac similitudines eius in quibus apparuit et locutus est herme. cui etiam in principio apparuit ecclesia in uariis figuris. Sunt ergo uisiones ecclesie numero quatuor. Pastoris nuntii penitentiae uisio numero una. Mandata*

*ta eiusdem numero duodecim. Similitudines numero decem. Cum Liber I. Visionibus solum quatuor constet, per quintam Visionem Noster intelligit Prooemium Libri II. sive Mandatorum. Hiat hic Liber in Codice a verbis Prooemii: *Missus sum ab illo uenerabili nuntio, ut — —. usque ad verba Mandati VIII. et fecerit. uiuet in uita sua. Deinde horum sequentia audi. Viduis amministrare &c.* Liber III. sive Similitudinum a verbis *Similitudinis* ult. *Is enim qui huiusmodi — subpletus est calamo currente et deficit in his: *Consummabitur turris et excludemini.* Lectiones variae per decursum non desunt, ut e collatione cum Edit. *suprac.* apprehendi.**

II. fol. 63. manu Sec. XIII. sequitur Liber *ἀδελφοτος* et *ἀνεπύργαφος*, qui est *Ambrosii de Bono Mortis*. Initium: *A superiore libro sermonem aliquem conteximus faciliorem uiam putamus de bono*

mortis conficere aliquid. Praemi-ferat ille Librum *de Anima*, unde initium nostrum ex edit. *Maur.* T. I. *Opp. Paris.* 1686. col. 389. f. ita restaurandum: *Quoniam de Anima superiore libro — contexuimus &c.* Definit Codex in haec verba: *et invenit viventem apud viventem.* Itaque pauca defunt, et per decursum Textus cum Edit. cit. probe consentit.

CLXXXVI. VII. 36

83 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 213. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricatus continet I. Partem Exegeticorum Origenis in Pentateuchum hoc titulo caractere quadrato praefixo: *Adamantii. Senis. Qui. Et. Origenes. In. Pentateucum. Omelie. Interpretante. Sancto. Hieronimo. Presbitero* (potius *Rufino*, vide *Dan. Huetii Origeniana* L. III. c. 2. *sect.* 3. n. 1.) *De. Greco. In. Latinum. In. Genesin. XVI. Omelie.* Initium: *In principio fecit Deus celum et terram. Quod est omnium principium? nisi dominus noster et saluator omnium Ihesus Christus primogenitus omnis creaturae? &c.* Finis Homiliae XVI. *Et Deus erit semper nobiscum. per ihesum christum dominum nostrum.* Deest itaque Homilia XVII. quam vide sis T. II. *Opp. omn. Orig. Paris.* 1733. p. 105. Cum hac editione Textus noster plurimum concordat, si vel ipsa *Lemmata* Homiliis praefixa spectes.

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

A Fol. 124. p. 2. *Incipiunt In Exodum Omelie. Tredecim.* praemissis omnium Argumentis. Initium primae est: *Videtur mihi unusquisque sermo scripturae divinae similis esse alicui seminum &c.* Non deest hinc inde lectionis varietas; ita initium *Hom. VI. Multa quidem cantica fieri legimus in scripturis divinis*, melius legit *Noster: referri legimus.* Sub finem *Hom. XI.* nobis defunt illa verba: *sicut et in oratione dicere jubemur: Adveniat regnum tuum. Finis Hom. ultimae: et componere. atque ex his adornare tabernaculum deo iacob. Per christum. d. n. &c.*

A Fol. 148. p. 2. *Incipiunt omelie in leuiticum. XVI.* Praemittuntur argumenta singularum. Prima sic infit: *Sicut in novissimis diebus uerbum dei ex Maria carne uestitum processit &c.* Sed Tertia pene in medio ad illa uerba: *Cum infirmor, tunc potens sum*, abruptitur, ultimis 18. lineis jam recentiore manu adscriptis. Vide et *Cod. seq.*

II. a Fol. 153. p. 2. habetur sine Titulo et nomine Autoris *Sermo de Nativitate et Divinitate J. C.* qui incipit: *De illa occulta habitatione sua egressus est filius dei. Excellentissimum et dulcissimum illud sancti spiritus organum beatus Gregorius romane sedis episcopus et uniuersalis ecclesie pontifex summus desiderans nostros animos ad extollendas laudes huius sanctissime natiuitatis accendere &c.* In fine mutilus est, desinitque in haec

M m

haec